MEMORABILIA

SOCIETATIS IESU

VOLUMEN VII

FASCICULUS III — 13 NOVEMBRIS 1939

AD USUM NOSTRORUM TANTUM

APUD CURIAM PRAEPOSITI GENERALIS

1939

Ordo fasciculorum qui voluminibus ligari possunt


N. B. - Fasciculi asterisco notati exhausti iam sunt. Si quis eos integros et superfluos habet, gratissimum nobis faciet eos Curiae restituens.

Acta Romana Societatis Iesu

Vol.	I	fasc.	I	1906/10
		fasc.	II	1910
		fasc.	III	1911
		fasc.	IV	1912
		fasc.	V	1913*
		fasc.	VI	1914
Vol.	II	fasc.	I	1915
		fasc.	II	1916
		fasc.	III	1917
		fasc.	IV	1918*
Vol.	III	fasc.	I	1919*
		fasc.	II	1920
		fasc.	III	1921
		fasc.	IV	1922
		fasc.	V	1923
Vol.	IV	fasc.	I	C. G. XXVII
Vol.	V	fasc.	I	1924
		fasc.	II	1925
		fasc.	III	1926
		fasc.	IV	1927
Vol.	VI	fasc.	I	1928
		fasc.	II	1929
		fasc.	III	1930
		fasc.	IV	1931
		Indices Vol. VI		
Vol.	VII	fasc.	I	1932
		fasc.	II	1933
		fasc.	III	1934
		Indices Vol. VII		
Vol.	VIII	fasc.	I	1935
		fasc.	II	1936
		fasc.	III	1937
		Indices Vol. VIII		
Vol.	IX	fasc.	I	C. G. XXVIII
		fasc.	II	1938

Memorabilia Societatis Iesu

Vol.	I	fasc.	I	1919	
		fasc.	II	1920	
		fasc.	III	1921	
		fasc.	IV	1922	
Vol.	II	fasc.	I	1923/24*	
		fasc.	II	1925	
		fasc.	III	1926	
Vol.	III	fasc.	I	30 iun.	1927
		fasc.	II	6 nov.	1927
		fasc.	III	15 iun.	1928
		fasc.	IV	31 dec.	1928
		fasc.	V	30 apr.	1929
		fasc.	VI	1 nov.	1929
		fasc.	VII	15 dec.	1929
		fasc.	VIII	10 oct.	1930
		fasc.	IX	8 dec.	1930
		fasc.	X	31 dec.	1930
		fasc.	XI	30 dec.	1930
Vol.	IV	fasc.	I	1 apr.	1931
		fasc.	II	1 iul.	1931
		fasc.	III	1 oct.	1931
		fasc.	IV	31 dec.	1931
		fasc.	V	31 maii	1932
		fasc.	VI	15 nov.	1932
		fasc.	VII	1 maii	1933
		fasc.	VIII	30 oct.	1933
		fasc.	IX	31 dec.	1933
		fasc.	X	31 dec.	1933
Vol.	V	fasc.	I	19 aug.	1934
		fasc.	II	4 dec.	1934
		fasc.	III	31 dec.	1934
		fasc.	IV	16 apr.	1935
		fasc.	V	31 dec.	1935
		fasc.	VI	19 mart.	1936
		fasc.	VII	1 iul.	1936
		fasc.	VIII	1 nov.	1936
		fasc.	IX	31 dec.	1936
Vol.	VI	fasc.	I	15 apr.	1937
		fasc.	II	1 iul.	1937
		fasc.	III	15 oct.	1937
		fasc.	IV	1 ian.	1938
		fasc.	V	1 apr.	1938
		fasc.	VI	1 iul.	1938
		fasc.	VII	1 oct.	1938
		fasc.	VIII	31 dec.	1938
Vol.	VII	fasc.	I	31 mar.	1939
		fasc.	II	30 iun.	1939
		fasc.	III	13 nov.	1939



Vol. VII. — Fasc. III. 13 Nov. 1939.

MEMORABILIA SOCIETATIS IESU

Ad usum Nostrorum tantum

REVERENDI PATRES AC FRATRES IN CHRISTO CARISSIMI,

P. C.

Gravibus temporum condicionibus hunc vobis « *Memorabilium* » fasciculum eumque valde deminutum mittimus. Nam etsi A. R. Patris Nostri Iubilaeum ad eius res gestas cum gaudio recolendas nos movebat. praesentes autem calamitates, quae ipsius Patris Nostri animum tam dolenter tangunt, nos ab omni laetitiae significatione, immo a solita rerum nostrarum narratione deterrebant. Dicemus tamen aliquid ad gratum animum et ad fiduciam erga Deum fovendam, qui suis beneficiis, vel in rebus adversis, animos confirmat et roborat.

Et primum quidem de Patre Nostro pauca commemorabimus, ut quemadmodum exeunte Septembri tota Societas spiritu nobiscum coadunata ei ex corde gratulata est, ita nunc nos absentes fratres certiores faciamus quam grata eorum obsequia exstiterint et quam digne Parenti optimo fuerint exhibita. Accedunt quaedam tabulae graphicae et statisticae ad incrementum Societatis et cultus nostrorum Sanctorum durante Patris Nostri regimine potissimum pertinentes.

Subsequentur deinde quidam nuntii de Nostris in Polonia degentibus, quales ad nos pervenerunt: quos sane, etsi paucos neque absolutos, pro certo habemus vobis acceptissimos fore, ut in tanta de rebus nostris in Polonia incertitudine, aliquid de afflictis Fratribus iam nunc vobis innotescat.

Reliquos nuntios ad sequentem fasciculum, si Deus dabit, amandamus, ne haec quae scitu magis urgent, nimiam moram patiantur.

Interea non cessabunt profecto Nostri omnes pro Ecclesia Christi eiusque Capite, itemque pro Societate tantopere aerumnis tentata et praesertim pro tot Provinciis quae sive bello sive aliis nec levibus impugnationibus propius lacessuntur, assiduas ad Deum fundere preces, quo citius ubique « pax, a divina pietate concessa, Christianorum fines ab omni hoste faciat esse securos » (*Secret. in Missa de Pace*).

Commendo me vestris SS. SS. et OO.

Romae, die 13 novembris 1939,
in festo S. Stanislai Kostkae.

Vestrum omnium servus in Christo
IOSEPHUS MUNDÓ S. I.

COMMUNES SOCIETATIS NUNTII

Quinquaginta anni in Societate Iesu, XXV in eius regimine ab A. R. Patre Nostro peracti

Antequam de Patris Nostri Iubilaei celebratione narramus, praecipua eius gesta more historico in memoriam reducere iuvabit, quae filiorum animos delectent amoremque in amatissimum Patrem atque existimationem augeant.

Natus die 7 oct. 1866 stirpe polonica in pago Loosford, dioec. S. Hippolyti in Austria Inferiore, litterarum humaniorum curriculum confecit Vindobonae, in Academia Theresiana.

Post impensum unum annum in studio iuris civilis, statum clericalem amplexus, theologiae operam dedit per duos annos in Seminario Tarnoviensi.

Die 26 oct. 1887 in Collegium Germanicum et Hungaricum cooptatus, philosophiae studuit Romae in Universitate Gregoriana, ubi doctor philosophiae creatus est.

E Collegio Germanico et Hungarico profectus in fine anni scholaris 1889, die 24 sept. eiusdem anni Societati Iesu nomen dedit Staraviesiae in Polonia, in Domo probationis Prov. Galicianae quae tunc dicebatur.

Sacerdotio initiatus Cracoviae die 10 iunii 1894 et tertia probatione Tarnopoli peracta, statim « Ephemeridi universali » seu polonice « Przegląd Powszechny » redigendae deinde etiam dirigendae addicitur. Anno 1900 Rector Collegii Maximi Cracoviensis renuntiatus, die 25 martii 1901 consueto in Societate tempore nondum expleto professionem quattuor votorum sollemnium emisit, eoque ipso die Provinciam Galicianam regere coepit primum quidem ceu Viceprovincialis, anno sequenti vero (a die 21 februarii 1902) pleno iure ut Praepositus Provincialis. Anno 1906 in Congregatione Generali XXV Assistens Germaniae, ac demum die 11 februarii 1915 a Congregatione Generali XXVI Praepositus Generalis electus est. Ita B.ma Virgo Maria quae nascentem Patrem Nostrum et in Societatem venientem excepe-

rat, eum etiam, in supremam Societatis moderationem assumptum, suo patrocinio tectum habere voluit: nam haec omnia diebus B. M. V. sacris contigerunt.

Quo quidem patrocinio statim novus Moderator maxime indiguit. — Exarserat enim iam tum dirum illud bellum mundiale, quo Pater Noster Zizers (in Helvetiam) ad tempus migrare compulsus est. Cum mense decembri 1918 Romam rediit, iacebant florentissimae Societatis Provinciae in Austria, Belgio, Gallia, Germania, Polonia, saevissimo belli turbine concussae, plurimosque filios lugebant in aetatis flore exstinctos.

Nulla mora interposita, P. Generalis ad tanta mala reparanda se contulit. Eius labor indefessus debuit in primis ad gravem omnium rerum penuriam sublevandam sese convertere haud paucarum Provinciarum, quae in miserrimam egestatem ob belli vicissitudines redactae erant. Paternae sollicitudini novi Praepositi Generalis obviam venit admiranda prorsus fraterna aliarum Provinciarum caritas, earum quoque quae id non sine magnis sacrificiis praestare poterant.

Tum eodem indefesso labore atque adeo maiore cura Pater Noster operam dedit ut genuinus Societatis spiritus, si quid inter bellicas perturbationes et angustias passus esset, indemnis restitueretur, itemque ut regularis observantia secundum maiorum traditiones ubique urgeretur. Atque huc ante omnia facit magnus ille labor ipsi a Congregatione Generali XXVI commissus, cui Pater Noster vel perdurante helvetica commoratione manum admoverat: recognitionem dico et collectionem Instituti, secundum normas ab ipsa Congregatione Generali datas, « quo magis et nostrae leges ad hodiernum facilioremque usum adaptarentur, et Iuris nostri proprii cum Pontificio Iure vigente plena conciliatio eluceret » (cf. decr. 11 C. G. XXVI). Omnes autem norunt quam tempestive, accurate, dilucide id anno 1923 perfectum sit a Congregatione Generali XXVII et in Epitome Instituti a Patre Nostro de Congregationis mandato confecta et anno 1924 promulgata; verum non omnes profecto satis sibi effingere possunt quantum studii et laboris constiterit Patri Nostro (utique a peritissimis Patribus adiuto, sed omnia semper dirigenti et per se inspicienti) cum schemata ad Congregationem Generalem proponenda parare, tum deinde Congregationis decreta ad praxim applicare, definitum Epitomes textum edere, Regulas singu-

lorum Officiorum item ad novas leges et praesentes rerum rationes accommodare. Id fere dicendum, etsi non eadem amplitudine, de paranda Congregatione Generali XXVIII non ita pridem habita eiusque mandatis et commendationibus exsequendis.

Haec autem omnia, praeter ordinarium illudque sane ingens Societatis regimen, quod singulis annis complura litterarum milia exigit; praeter multas sive Provinciarum sive Missionum sive Scholasticatuum visitationes, quae et praevias ad Visitatores instructiones supponunt et frequens cum ipsis epistolarum commercium et negotiorum tractationes et amplas relationes secum ferunt. Octo, quae ad generalatum Patris Nostri pertinent, « Actorum Romanorum » volumina pervolventi, nonnisi vestigia tanti laboris et specimen valde exiguum apparent. Et tamen epistolae, quae ibi continentur, scriptae ad universam Societatem, ad singulas Assistentias, Provincias, Missiones, Domos: de cognitione et observantia Instituti, de caritate, de studio animorum; de amore et cultu SS.mi Cordis Iesu, B.mae Virginis Mariae et Sanctorum Nostrorum; de studiis, de formatione Nostrorum, de vocationibus suscitandis; de omnibus et singulis Societatis operibus, de Exercitiis, de Missionibus, de Scriptoribus, de Collegiis, de Apostolatu Orationis, et de Congregationibus Marianis, de pugna contra atheistas militantes, etc.; haec inquam scripta Patris Nostri, praeclarum monumentum exhibent, ad eius laborem pro solanda et sublevanda Societate cognoscendum. Quantus huic labori fructus responderit breviter videamus.


Societatis integritas et incrementum. — Cum anno 1915 Societatem regere coepit Pater Noster, constabat illa 5 Assistentiis, 27 Provinciis, 16.946 Sociis. Anno 1939, creatis interea tribus Assistentiis: Americae (an. 1915), Slavica (an. 1929), et Americae Latinae (an. 1938), numerat Assistentias 8, Provincias 50, Socios 25.954, domos 1190. Neque vero ex hoc numerorum incremento, sed potius ex accurata Instituti nostri observatione, ex sedula formatione Nostrorum, et ex alacri ministeriorum omnium exercitatione labor Patris Nostri aestimandus est, quemadmodum de his praecipua fuit, ut diximus, eius cura et sollicitudo.

Interea hostiles incursus in Ecclesiam et in Societatem non cessaverant. Novae insectationes apud Sinenses et Mexicanos sanguinem nostrorum Fratrum effuderant. Quorum exemplum aliquot post annos communistici Hispanorum sicarii imitati sunt.

Novae calumniae ab hominibus qui catholicos se dicebant, spargebantur. Quibus Pater Noster, veritatis lumine, resistere non cessabat, dum interea pro Christi regno diffundendo maxime laborabat.

NUMERUS SODALIUM SOCIETATIS IESU (1)

INEUNTE 1915
ERANT 16.940, IN QUINQUE ASSISTENTIAS DISPERTITI
INEUNTE 1939
25.954, DISTRIBUTI IN OCTO ASSISTENTIAS



(1) Circulus interior exhibet numerum Sociorum anno 1915; exterior numerum Sociorum ineunte anno 1939.

Et primum quidem in Missionibus, quae tempore belli et Missionariis et opibus ad sustentationem et ad laborem necessariis erant destitutae. Ideo litteras hoc tempore saepius dedit, tum ut Nostri pro virili parte Missionibus opem ferrent, tum praesertim ut novi Missionarii in primam aciem accurrerent, quam antiqui, bello coacti, deserere debuerant. Quanta id efficacia fecerit satis ostendit sequens virorum et operum comparatio.

Cum anno 1915 Missionarii Societatis 1971 in 29 Missionibus sacrum Evangelium spargerent; sunt in praesenti 3.785 (PP. 2.145, Schol. 975, CC. 665) in 46 Missionibus occupati. Hi dirigunt Seminaria 40 cum 2.373 Seminaristis, Universitates et Collegia universitaria 15 cum 8.580 alumnis; Scholas medias (High Schools) 169 cum 51.734; Normales pro Magistris et Catechistis 67 cum 2.289; Industriales 95 cum 4499; Inferiores (scholis precum non computatis) 7.817 cum 375.054 pueris. — Praeter haec, orphanotrophia 155 cum 12.881 orphanis; nosocomia 70 cum 7.459 aegrotis; pharmacopolae officinas 349, ubi 3.312.392 curae uno anno aegrotantibus sunt adhibitae; Typographias 25, periodica 115. Baptismata uno anno administrata sunt 234.878; communiones 28.389.112; matrimonia composita 22.944.

Haec generatim dicta sint de progressu omnium Missionum sub regimine Patris Nostri. Nec silendum de Secretariatu centrali pro Missionibus Romae apud Curiam nostram instituto, qui magnopere iuvit et iuvat ad maiorem Missionum cognitionem et collaborationem fovendam. Cum autem ceteras omnes Missiones amantissimus Pater habeat carissimas, quattuor sunt praesertim, quae illius curam et sollicitudinem peculiari ratione sibi vindicarunt.

Quarum prima illa fuit quae ad Russos a Summo Pontifice Pio XI missa est. In qua promovenda duplici ratione Pater Noster movebatur: oboedientia erga Christi Vicarium, qui Patribus nostris uti voluit ad famelicum Russiae populum iuvandum; et persuasione fore ut aliquando magnum ibi ostium panderetur, ad amplissimam illam regionem Christo et Religioni Catholicae lucrandam. Itaque ad primum hunc scopum assequendum litteras dedit Societati, eam exhortans, ut, etiam sacrificiis sibi impositis, pecuniam tum e nostris Communitatibus, tum e Sodalitatibus collegeret. Quarum fructus fuit ingens pecuniae summa, Summo Pontifici in hunc finem oblata.

Alterum vero scopum quo efficacius attingeret, Collegium Russicum Romae ex voluntate Summi Pontificis regendum accepit, et universae Societatis iuvenes invitavit, ut si quis ad difficilem illam Missionem etiam cum vitae periculo se vocatum sentiret, eam vocationem Patri Generali aperire ne gravaretur. Cui quidem invitationi mirum quanto cum ardore undique responderint Nostri, plurimis ad tam arduum et periculosum laborem sese ultro libenterque offerentibus, e quibus Pater Noster parvum duntaxat manipulum seligere potuit, qui tamen augetur in dies.

Missio Japonensis singularem etiam Patris Generalis dilectionem est merita. Cum enim his 25 annis Universitas Tokiensis suum aedificium pessumdatum videret, et docendi iure privaretur, nisi magnam pecuniae summam apud Gubernium deponeret; et in periculo versaretur ne, quarumdam caerimoniarum causa, patriae parum addicta censeretur; Pater Noster non modo Missionariis opem et consilium tulit et animum addidit, sed totam Missionem mirifice auxit. Itaque cum octo solummodo Patres Societatis anno 1915 in Japonia versarentur, sunt in praesenti 60 Patres, 26 Scholastici, et 13 CC, cum aptis domibus pro Philosophis et Noviciis.

Mahumetanorum conversio peculiares Patri Nostro attulit sollicitudines. — Quorum 500 centena milia in Missionibus nobis commissis numerantur, nec satis illis adhuc fortasse consuluimus, falsa opinione ducti de inutilitate laboris qui in eos impenditur. Quapropter Pater Noster, desiderio obsecundans S. P. Pii XI piae mem., studium linguae et culturae arabicae promovendum curavit, et aliis quoque rationibus, ut litteris ab ipso datis die 15 augusti 1937 satis innuitur, ad Mahumetanorum conversionem, quantum in nobis est, parandam aptas quaerere ac sternere vias contendit.

Quanto ardore promoveat Pater Noster Missionem Orientalem et eorum generositatem laudet et foveat qui ritum Orientalem amplectuntur, notum est et saepe in Memorabilibus commemoratum. Institutum Orientale, quod Romae languens et intermortuum accepit, cura et indefesso labore Nostrorum et maxime primi Rectoris adiutus, non modo nova vita donavit, sed ex eo doctrinae et virtutis fontem erumpere fecit, ubi multi Orientales veritatis sitim exstinguerent.

Ceterum nihil intentatum reliquit, ut Missiones totis suis viribus, et ad mentem quidem Summi Pontificis iuvaret; nam et opera omnia Missionalia Pontificia omnibus Nostris enixe commendavit et diem Missionum quotannis agendum octo datis epistolis, ardenter praecepit, tanto successu, ut pro utroque amplissimas laudes Sacrae Congregationis Societas nostra mereretur.

Exercitia spiritualia Sti. Ignatii. En alterum opus Societatis, quod Pater Noster totis viribus adiuvit. Prope novam Curiam Domum Exercitiorum SS. Cordis exstrui voluit, ubi Exercitia sine ulla intermissione proponerentur. Foedera Exercitiorum et Perseverantiae in tota Italia ita suo favore est prosecutus, ut iam virorum plus centum milia in eis sint congregati. Die 17 dec. 1938 his verbis hortabatur PP. Provinciales Assistentiae Galliae: « Exercitia opus sunt primarium Societatis, eius ministerium proprium et essentiale, et ipso B. Patre nostro Ignatio teste, telum praecipuum a Deo in nostris manibus positum, ad eius regnum in mundo diffundendum. Ipsa nostra vocatio gratiam nobis propriam (gratiam status) tribuit, ut illud ad maiorem Dei gloriam vibremus » (A. R., V, 371). Hac persuasione motus et Litteris Encyclicis Summi Pontificis « Mens nostra » roboratus, domos ad hunc pium secessum habendum multiplicandas curavit, quae 71 erant anno 1921, fuerunt 104 anno 1938. Uno anno 1937 Sacerdotes Societatis cursus Exercitiorum 16.064 pro 680.788 christifidelibus direxerunt.

Interea alii non pauci Societatis alumni apostolatum non ore sed calamo exercent. Etiam his ardorem et studium animorum infundere conatur Pater Noster. Sufficiat recordari quantum laboraverit ad ostensionem preli ordinandam et parandam, et ad eius memoriam in animis nostris et amicorum nostrorum relinquendam. Nec mirum cum ipse Pater hanc apostolatus viam olim tenuisset. Anno 1915 edebat Societas 300 folia periodica; anno 1938 edebat 1.112, linguis 50 exarata, et 130 centenis milibus exemplarium multiplicata.

Consociationum incrementum. Fructus vero apostolatus nostri eo est efficacior, quo magis inter se christiani coalescunt, ad suam fidem tuendam et caritatem accendendam. Ideo tanta cura invigilat Pater Noster Consociationum nostrarum incremento et fervori.

Apostolatum Orationis, qui variis in locis fere languebat et in quibusdam regionibus alienae curae commissus erat, impense promovere sategit; eius vero sedem Romae apud se habere voluit, ut hoc opus, quo tantopere sibi complacet Sacratissimum Cor Iesu, cuiusque Generalis Societatis Praepositus pro tempore est supremus Moderator, sub oculis Summi Pontificis et sub immediata Praepositi Generalis vigilantia vitam gereret in dies abundantiorem. Moderatori generali delegato aptos adiutores, nominatim pro Cruciata Eucharistica, adiecit, et aulas ac laboris instrumenta dedit, ita ut Secretariatus quidam generalis rite instructus omnino sit et appareat. Centra 125.787, Directores dioecesani 1.260, Sociorum 350 centena milia, nuntii 72, alia folia menstrua 56, satis ostendunt quantum Patris Nostri vicinitas ad Apostolatum Orationis augendum contulerit. Nec minorem ex ea proventum fecit Cruciata Eucharistica, quae, paulo post electionem Patris Nostri instituta, numerat iam 30 centena milia sociorum ac miro floret orationis, apostolatus, sacrificii et Eucharistiae amore.

Congregationes Marianas ita promovit, ut earum conventum Romae coegerit et Secretariatum centralem apud se conderet, easque communi folio periodico « Acies Ordinata » instrueret, quod sex linguis editum et maxime Sodalitatum Directores attingens, per eos spiritum marianum et apostolicum et mutuae caritatis et aemulationis ardorem duobus milibus quadringentis sexaginta Sodalitatibus infundit. Curavit praeterea ut Congregationibus Marianis, dum fraterna collaboratione Actionem Catholicam adiuvare non intermittunt praesertim in eius officialibus intima spirituali formatione parandis et roborandis, sua pristina maneret nota et natura, quae his quoque temporibus magni fit ab Episcopis et Sacerdotibus.

Studiorum vigor et progressus. — Haec autem omnia florere non possent, nisi Societas ipsa et universa Ecclesia sanctis et eruditis sacerdotibus abundarent. Ideo tanto amore et studio Seminaria et Collegia cum nostra tum cleri saecularis ipse Praepositus Societatis prosequitur: litteras dedit de doctrina Sti. Thomae ad mentem Summi Pontificis amplectenda et docenda; Universitatem Pontificiam Gregorianam nova et amplissima sede instaurandam et Facultatum et Professorum numero ac dignitate augendam curavit; nova Collegia ecclesiastica in Urbe, no-

vaque Seminaria in Italia, in America, in Missionibus, expressa Summi Pontificis voluntate, dirigenda suscepit; studia denique Societatis sollicite ordinavit ut S. Congregationis Seminariorum praescriptis obtemperaretur, et aptiores in dies Dei ministri Ecclesiae et Societati darentur. Universitates 15, Scholae secundariae 421 cum Professoribus nostris 3.686, alumnis 138.307 (extra Missionum regiones) brevem aliquam notionem praebent laboris impensi a Patre Nostro ad studia sacra et profana ubique promovenda. Quin immo socios sibi quodammodo in hoc magno labore adsciscere volens, in Congregatione Generali XXVIII multa de Studiis ut agerentur ac decernerentur curavit, aliquot Patribus interea curam demandans de Studiorum ratione perfecte ordinanda.

Huic tanto labori ipse Deus coronam quodammodo imposuit, *numerum Sanctorum ac Beatorum* Societatis multiplicando, quod quidem non sine assiduo Patris Nostris labore contigit. Crebris enim datis epistolis et eorum cultum amplificavit, et nos omnes ad eos imitandos excitavit, et Postulatoribus ac Vicepostulatoribus stimulos adiecit, ut eorum cognitione et fiducia diffusis, christifideles disponerent ad miracula obtinenda, sine quibus fratres nostri, sanctitatis fama sublati, in Beatorum album inscribi non possunt.

Atque haec in praesenti sufficere videntur, ut labores a Patre Nostro 25 annis susceptos, ad Societatem aptum instrumentum divinae gloriae efficiendam, aliquatenus recolatis. Faxit Deus ut et ipse dilectissimus Pater hos labores usque ad finem valide persequi possit, utque tota Societas eius curae et sollicitudini, divina gratia adiuta respondeat.

SANCTI ET BE

SECUNDUM TEMPUS ET ORDINEM, QUO S

PAULO PP. V. (1605-1621)

1605 1. B. Aloisius († 1591)
1609 2. B. Ignatius († 1556)
1619 3. B. F. Xaverius († 1552)

GREG. PP. XV. (1621-1623)

1622 4, 5. SS. Ignat. et Xaver.

URBAN. PP. VIII. (1623-1644)

1624 6. B. F. Borgia († 1572)
1627 7-9. BB. MM. Paulus, Ioannes et Iacobus († 1597)

CLEM. PP. X. (1670-1676)

1670 10. B. Stanislaus († 1568) (1)
1671 11. S. F. Borgia

CLEM. PP. XI. (1700-1721)

1716 12. B. F. Regis († 1640)

BENED. PP. XIII. (1724-1730)

1726 13, 14. SS. Aloisius et Stanislaus

CLEM. PP. XII. (1730-1740)

1737 15. S. F. Regis

PIO PP. VII. (1800-1823)

1806 16. B. F. Hieronymo († 1716)

LEONE PP. XII. (1823-1829)

1825 17. B. Alfonsus Rodríguez († 1617)

GREG. PP. XVI. (1831-1846)

1839 18. S. F. de Hieronymo

PIO PP. IX. (1846-1878)

1851 19. B. P. Claver († 1654)
1853 20. B. Ioan. Britto († 169
1853 21. B. A. Bobola († 1657)
1854 22-61. B. Ign. et Soc. MM. siliensis († 1570)
1862 62-64. SS. MM. Iaponenses
1862 65-97. BB. MM. Iaponenses († 1622-1632)
1864 98. B. P. Canisius († 1597
1865 99. B. Io. Berchmans († 1
1872 100. B. P. Favre (†1546)

LEONE PP. XIII. (1878-1903

1886 101-105. BB. MM. Campio Soc. Angliae (†1573-1582)
1888 106-108. SS. Petrus, Ioanne Alfonsus
1893 109. B. A. Baldinucci († 1
1893 110-114. BB. MM. Rodulfu Soc. Salsetens. († 1583)
1895 115. B. B. Realino († 1616

PIO PP. X. (1903-1914)


1905 116, 117. BB. MM. Casso † 1619)

PIO PP. XI. (1922-1939)

1923 118. B. Robertus Bellarm († 1621)
1925 119. S. P. Canisius Ecc.



(1) Pro Beatificatione Sti. Stanislai annum assignamus 1670, quo decre sollemne a Clemente PP. X latum est. Dici tamen quodammodo potest Stanis primus Beatus Societatis, nam Clemens VIII eum anno 1604 Litteris Aposto in Poloniam datis « Beatum » appellavit, et Paulus PP. V. anno 1605, pridie



versarii, lampadem et dona fidelium ad eius sepulcrum appendi voluit. -
ili de causa annum Beatificationis B. Petri Favre, BB. MM. Brasiliae Ignatii
zevedo et Soc. et BB. MM. Angliae Campion et Soc. valde remotiorem assignare
emus.

TEMPORIS SPATIUM QUO PP. NN. GENERALES

Societatem Iesu rexerunt

PP. NN.	Tempus Ann.	Tempus Mens.	Repraesentatio graphica
Acquaviva	33	11	********** ********** ********** ***.
Beckx	33	8	********** ********** ********** ***.
Vitelleschi	29	3	********** ********** *********.
LEDÓCHOWSKI			********** ********** ***** — — —
Tamburini	24	1	********** ********** ****.
Roothaan	23	10	********** ********** ***.
Retz	20		********** **********
González	18	3	********** ********.
Oliva	17	4	********** *******.
S. IGNATIUS	15	3	********** *****.
Ricci	15	3	********** *****.
Martín	13	6	********** ***.
Nickel	12	4	********** **.
Fortis	8	3	********.
Wernz	7	11	*******.
Mercurian	7	3	*******.
S. FRAN. BORGIA	7	3	*******.
Laynez	6	6	******.
Brzozowski	5	6	*****.
Anderledy	4	10	****.
De Noyelle	4	5	****.
Visconti	3	10	***.
Carafa	3	5	***.
Centurione	1	10	*.
Piccolomini	1	6	*.
Gottifredi		2	.

Aureum Iubilaeum A. R. Patris Nostri a Curia Generalicia et ab universa Societate celebratum

Omnes quidem vehementer optabamus aureum Patris Nostri Iubilaeum ei quam felicissimum reddere, immo consilia in Curia volvere coeperamus, de modo quo tam dilecto Patri nostrum amorem ostenderemus; cum bellum erumpens inita consilia ipsamque Curiam quodammodo dissipavit. Visum est enim ut aliqui PP. Assistentes (Galliae, Angliae, Americae) in suam Assistentiam se conferrent, vel ad eam propius accederent, quo fafacilius eas in itinerum ac tabellariorum intermissione nomine Patris Nostri dirigere possent. Ipse autem Pater, ut vires corporis interea reficeret, Luganum in Helvetiam, velut in quietum ac tranquillum portum cum C. F. Otrębski recessit. Et quamquam die 21 septembris ad nos rediit, cum tamen tantus esset omnium dolor ob universam fere Poloniam iam tum convulsam, ob plurimos Patres ac Fratres multarum nationum ad arma vocatos, omnis pompa externa suppressa est. Non autem filiorum gratulatio visa est omittenda, maxime cum ipsi afflicto Patri solacium aliquod afferre posse videretur.

Illuxit dies quartus et vicesimus septembris Btae. Virgini a Mercede sacer. Emmus. Card. Boetto, qui pridie vespere Genua Romam venerat, ut Patri Nostro iubilanti praesto esset, Missam hora 8 cum dimidio in parvo nostro templo S. Francisco Borgiae dicato celebravit, cui Pater Noster, R. P. Vicarius, ceterique omnes Patres ac Fratres Communitatis interfuerunt, nostri autem cantores devotis canticis decorem externum addiderunt. Tum per totum diem telegrammata quamplurima domum perlata sunt, quibus praeclari quique homines Patri gratulabantur, dum alii, inter quos Em.mus Card. La Puma, verbis id facere maluerunt.

Meridie, finito examine, priusquam in triclinium descenderemus, cum iam domi essent congregati R. P. Praepositus Prov. Romanae cum suo Socio, omnesque Superiores domorum, quae in Urbe sunt vel in eius viciniis aliique nonnulli Patres civitatis, in aulam recreationis convenimus. Parata ibi erant sedilia duo sub purpureo tentoriolo, prope quod munera spiritualia omnium Provinciarum et Missionum mensae imposita collucebant. Et ecce veluti prolusio pulcherrimi illius conventus fuit ingressus Emmi.

Cardinalis et Patris Nostri, ambo enim sancta et amica contentione properabant, ut digniorem sedem alter alteri relinqueret. Victor in ea evasit Cardinalis, qui Patrem Nostrum in sede primaria sedere voluit.

Statim R. P. Vicarius gratulatoriam orationem habuit, quam integram vobis latino sermone expressam degustandam praebemus.

Paternitas,

Hoc fausto anniversario recurrente, voluissent quidem filii circa Paternitatem Vestram congregari tempore minus aerumnoso quam praesens est, et laetitiae huius diei magis accommodato. Sed his ipsis diebus, quibus accingebamur ad iubilaeum Societatis et Generalatus P. Vae. celebrandum, spectatores fuimus calamitatum et discriminum, quae sua mole omnia quae P. Vae. sunt carissima oppresserunt. Scit P. Va. quantam in hoc dolore partem habeamus, qui P. Vae. animum cruciat propter aerumnas suae patriae, propter Societatis damnum, cuius tot Provinciae belli calamitates sunt expertae, propter pericula in quae universa Ecclesia conicitur eorum audacia, qui se apertissime eius hostes profitentur.

Nihilominus visum est nobis, ius esse filiis, immo et officium, nos circa P. Vam. congregandi, ut modesto quidem et familiari, sed non eo minus intimo conventu, filialem nostram adhaesionem ostenderemus et amantissimum Paternitatis Vestrae animum consolaremur. Habet hic P. Va. congregatos Patres et Fratres, qui operam P. Vae. proximam navant, suntque immediati testes laboris assidui, quem P. Va. pro universa Societate sustinet: videt Curiam Generaliciam, Provinciam Romanam, Domos huius Urbis a suis Superioribus repraesentatas; immo videt universam Societatem, hodie namque omnium animi atque oculi ad V. Pm. conversi sunt, eorum fortasse maxime, qui, acerbissimis aerumnis affecti, aliquod sibi dolorum lenimentum quaerunt, magna Dei beneficia cogitantes, quae nos hodie recolimus, quaeque divinae Providentiae accepta referimus. Eius vero praesentia maximi pretii est, qui, cum eximius sit Societatis filius, festum hunc diem splendore Sacrae Purpurae solemniorem reddere voluit, Em.mi inquam Cardinalis Boetto. Officium meum esse duco gratias Ei agere nomine omnium Patrum ac Fratrum in hac aula praesentium, propter magnam quam Patri Nostro nobisque omnibus attulit voluptatem, hac una de causa Genuam relinquens, ut hunc diem nobiscum transigeret.

Nostro autem gaudio apicem imponit quod primum et supremum Societatis Caput, cui plenam nostram oboedientiam consecravimus, Summus Pontifex feliciter regnans, Pius Papa XII, hic etiam quodammodo praesens adesse voluit, litteris animo paterno datis, quas ipse statim aequa reverentia legam:

R. P. Vicarius legit hic, stantibus omnibus, pulcherrimam epistolam, quam in Actis Romanis legetis, cuius hic translationem subiungimus.

DILECTO FILIO

WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI

PRAEPOSITO GENERALI SOCIETATIS IESU

Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Sensus spiritualis recollectionis, quibus pietas tua 50um anniversarium vitae religiosae et 25um tui Generalatus celebrare intendit, nequeunt Nos impedire, quominus Nostra gratulatione Nostrisque votis participes simus unanimis, etsi compressae, laetitiae carae Societatis Iesu, quae hac fausta occasione gestiens, revocat in mentem merita clari tui regiminis et exempla non minus copiosa tuae vitae ad aequitatis normas exactae. Si quidem Societas Iesu, cum e tuis privatis virtutibus, tum ex acri labore tui Generalatus, pretiosa spiritus et operum incrementa in omni campo collegere non cessavit; non minus fecunda fuit sapientia tua, cum de communi Ecclesiae bono ageretur, continuis et insignibus officiis omnis generis conando, ne nomen esset inane — quod non fuit unquam — absoluta deditio Familiae Sancti Ignatii Vicario Iesu Christi in terra. Pro istis tuis meritis erga Sedem Apostolicam, non minus quam pro iis, quorum fructum Societas Iesu per te percepit et percipere pergit, volumus Nos tibi in hoc duplici fausto eventu sinceram Nostram atque paternam approbationem prorsus ostendere. Quae, ut bene intellegis, solidum fundamentum habet in praemio — unico vero — quod assiduus tuus labor, virium profusio, occulta sacrificia tibi apud Patrem caelestem certissimum reddunt, cui tu servis in Iesu Christo, fervore servi boni et fidelis, qui Eum unum respicit et omnia ab Eo exspectat. Quod si ne spiri-

tuale quidem gaudium duarum sollemnium commemorationum tibi sine mixto dolore conceditur, cum animus tuus profundo vulnere sit affectus, propter luctum tuae gentis et propter aerumnas tot filiorum, qui procul a te versantur, scimus quidem quanta Fide in his ipsis calamitatibus divinam Bonitatem agnoscas, quae gaudia suorum electorum dolore purificat, ut nihil terrenum habeant, neve quidquam de praemio aeterno suorum fidelium praesentis temporis consolatione detrahatur.

Hac Fide munitus, quae tua vis et tua pax est, dulce tibi sit fecundos annos tuae vitae religiosae recolere, eosque quibus Instituto praefuisti, in quod a Deo vocatus es. Dumque vicissitudines cogitas, quas divina Providentia ordinavit, et vires, quibus te confortavit, dulce tibi sit potissimum cogitare te ad maiorem Dei gloriam impendisse, quidquid a Deo tibi donatum est.

Dum Deum deprecamur, ut hoc intimo solacio usque ad finem perfruaris, eoque, ad laboriosam tuam vitam agendam, roboreris, novas caelestium gratiarum copias ab Eo imploramus, et animo paterno tibi, dilecte Fili, universaeque Societati Iesu — eius membris eiusque operibus — Apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum in Castro Gandulfi, die 21 Septembris 1939.

PIUS PP. XII.

Hanc gravissimam et amantissimam Summi Pontificis epistolam ipse Pater Noster veluti pondere quodam oppressus audivit, ceteri ingenti admiratione et grato animo acceperunt.

Tum Emmus. Cardinalis verba facere coepit festiva oratione ut solet, et caritatem eximiam redolente. Aiebat se potius debere aliis gratias referre quam alios sibi, quia tam faustam occasionem praebuissent Patri Nostro gratulatum veniendi.

Quanto Ipse afficeretur amore erga Patrem Generalem, quocum septemdecim annos vitam degisset, nullum esse qui ignoraret, ideoque se ei hoc die abesse non potuisse. Se autem nescire quid nunc de Patre Nostro dicere aut quibus verbis ei gratulari posset, cum Ipse Summus Pontifex iam eum « canonizavisset »: hoc unum commendare Patri Miccinelli, utpote Postulatori generali, ut litteras Summi Pontificis studiose seponeret et

accurate servavet: interea Deum Dominum nostrum rogaturum ut Patri Nostro vires diu conservet ad Societatem per multos annos ad maiorem Eius gloriam regendam.

Deinde R. P. Vicarius munera Societatis obtulit Patri Nostro, quod quidem ita perfecit:

« Augustis verbis et paternis gratulationibus Summi Pontificis, quae nos sancta laetitia et iusto quodam gloriae sensu repleverunt, proprios nostros filiorum sensus adiungere volumus.

Hoc mane, dum divini Sacrificii Eucharistici, ab Em.mo Cardinali oblati, participes eramus, gratias egimus Domino pro omnibus donis P. Vae. his 50 annis vitae religiosae collatis, et pro aliis non minus copiosis, quos per annos 25, in Generalatu P. Vae. universae Societati contulit. Nunc autem gratum nostrum animum etiam ipsi P. Vae. ostendere cupimus, quae semper fuit apud nos Dei Domini Nostri fidus interpres et instrumentum. Gratias quam maximas pro plena sui ipsius deditione, qua se cotidie indefessus pro Societate devovit; gratias pro piis precibus, quibus sine dubio tam multa a nobis pericula avertit et tot dona caelestia nobis impetravit; gratias pro suo vere insigni et illuminato labore; gratias pro exemplo, quo omnes quidem, sed nos maxime qui privilegio fruimur sub eodem tecto cum P. Va. vivendi, aedificati sumus; gratias denique pro animo paterno, qui in omnes et in omnia radios caritatis effundit. Hunc vero gratum animum ostendere volumus, proposito concepto P. Vae. exempla imitandi et doctrinam sequendi. Verum quidem est nos aliquando prae debilitate deficere. Ut autem bene novit P. Va., magna est in Societate generositas et efficax desiderium fideliter retinendi primitivum spiritum, quem nobis S. Ignatius hereditate reliquit et P. Va. constanti et efficaci cura promovit. Hunc spiritum in Societate florere testes sunt tot Ecclesiae praesules, qui nostra ministeria ubique efflagitant, id splendide confirmavit fortitudo, qua Patres nostri in recentibus insectationibus, vocationi fideles et Regno Christi devoti perseverarunt. Hoc in nobis spem alit, etiam in praesenti discrimine et in futuris, quae quidem dira impendent, Societatem nostram divina gratia adiutam et a P. Va. gubernatam, officio suo fidelem permansuram.

Hunc ipsum gratum animum etiam precibus solito frequentioribus demonstrare voluimus, quas quidem Domino obtulimus et his mensibus offerre pergemus. Non illae quidem « numerandae, sed ponderandae » sunt. Nec enim colloquia cum Deo spiritualia et intima, quibus filii P. Vae. de caro suo Patre cum Deo sunt collocuti, numeris censeri possunt. Nihilominus tamquam indicem huius fidelitatis in precando pro P. Va., tota Societas thesaurum spiritua-

lem precum et bonorum operum collegere conata est, quem P. Vae. hoc die dono offerret. Omnes Provinciae, Missiones omnes, etiam remotissimae, suo eum generoso tributo pretiosiorem reddiderunt. Ita potuimus P. Vae. illa referre, quae P. Va. animo vere paterno, omnibus qui in Societate iubilaeum celebrant, largiri solet. Accipiat, quaeso, A. R. Pater, 50.000 Missarum prima intentione oblatarum et fere septingenties centena milia (70.000.000) precum et bonorum operum. Utinam hae preces filiorum P. Vae., quas certe Dominus speciali benevolentia respiciet, nobis obtineant id quod maxime cupimus, ut P. Va. per multos annos Societati conservet, utque vires ac lumina necessaria P. Vae. tribuere pergat, ad arduum laborem complendum nos in hac pugna custodiendi, quam pro Regno Christi Iesu suscepimus, cui vitam consecravimus, et pro qua vires omnes effundere cupimus ».

Tum Pater Noster, animo valde permoto, gratias in hunc modum agere coepit:

« Intimam commotionem pro istis vestris grati animi sensibus exprimere nequeo. Duplici enim affectu commoveor: gratitudinis pro tanta vestra caritate, et profundae humiliationis, cum cogitem quantum et in quam multis defecerim. Omnia quae tam generoso animo mihi obtulistis, Deo oblata esse volo, ut gratias referam pro donis acceptis, ut veniam petam pro meis erratis, et opem implorem ad laborandum alacrius usque ad mortem.

Aerumnoso quidem tempore, ut in sua pulcherrima oratione dixit R. P. Vicarius, hoc iubilaeum celebramus. Sed Dei beneficium in hac ipsa celebratione conspicio, nunc enim vel maxime orationibus indigeo, ut gravissimis difficultatibus obsistere possim, quae nos undique circumdant et opprimunt. Dei misericordia nobis aderit, ut ei vel maxime hoc tempore serviamus. Equidem non adeo meae patriae sorte et Provinciarum nostrarum calamitatibus commoveor, quam Ecclesiae universae periculis. Sic enim volebat S. Ignatius nos in Ecclesiam esse animatos, ut eius vicissitudines nos vel maxime tangerent. Iam veram insectationem Ecclesia patitur, sed omnes qui rerum cognitionem habent longe maiora praevident. Mediis his angustiis et periculis illud me consolatur, quod video quanto omnes Nostri sanctitatis amore sint accensi, quanta inter se caritate devincti. Certus sum etenim Societatem suo muneri non defuturam, etiam si

sanguinem effundere debuerit, quod quidem non adeo procul a rei veritate fore videtur ».

Hic, cum optimus Pater, suam commotionem dissimulans, Emmo. Cardinali gratias ageret pro urbana eius gratulatione, respondit Emmus. Dominus pulchrum illum conventum benedictione finiendum esse; cumque utpote extra suam iurisdictionem facultatem benedictionis impertiendae non haberet (1), rogare se Patrem Nostrum, ut ipse benedicere vellet. Cuius rogatui Pater Noster benigne obsequens, omnibus in genua procumbentibus benedictionem est impertitus.

Descriptionem munerum spiritualium a Nostris oblatorum liceat nunc paucis complecti. — Duo in his muneribus spectari possunt: ingens huius thesauri magnitudo et egregia forma qua ab omnibus oblatus est. Thesauri ipsius magnitudinem hi numeri satis ostendunt:

Missae 1ª intent. celebratae	51.646	Missae 2ª intent. celebratae	104.403
Missae auditae	323.860	Communiones sacrament.	307.172
Visitationes eucharist.	930.623	Viae Crucis lustrationes	61.318
Coronae B.mae Virginis	603.598	Preces variae	59.227.274
Mortificationes	2.208.628	Alii actus virtutum	3.297.723

Summa universa 67.116.245

Si formam spectamus, omnia haec munera collecta sunt in chartis pergamenis, nonnullis quidem magni pretii. Aliqua, e Sina venientia, in foliis sericis eximiae structurae scripta mireris. Pleraque ita depicta sunt (quaedam etiam acu picta) ut domos aut Sanctos nostros, aut homines, arbores, monumenta, ceteraque uniuscuiusque regionis propria referant.

Quaedam Provinciae et Missiones non unam chartam miserunt, sed singulas aut etiam plures pro singulis suis domibus. Nonnullae in obsequiis alumnorum offerendis, expresse commemorant, non solos alumnos catholicos, sed etiam gentiles sua bona opera et sacrificia pro nostro P. Generali obtulisse. His omnibus foliis confectum est magnum volumen, quod pietatis om-

(1) Hoc Emus Dominus lepide et subridens dixit, cum sane non ignoraret se qua Cardinalem ubique terrarum benedictionem impertire posse (C. I. C.,can. 239, 12°): sed volebat et ipse a Patre Nostro nobiscum benedici.

nium Nostrorum erga suum carissimum P. Generalem perenne monumentum erit.

Pont. Universitas Gregoriana item commemorare voluit duplex Patris Nostri iubilaeum, qua eiusdem Universitatis Vice-Magni Cancellarii. Itaque ipso die sollemnis instaurationis studiorum, 5 novembris, coram omnibus Superioribus Collegiorum ecclesiasticorum, quorum alumni aulas Universitatis Gregorianae frequentant, iisdemque alumnis adstantibus, ipse Magnus Cancellarius Eminentissimus Cardinalis Iosephus Pizzardo Patris Nostri erga Universitatem merita pulchra oratione recoluit ei gratias agens et bene a Domino adprecatus. Cui reposuit Pater Noster omnia post Deum accepta referens Summo Pontifici Pio XI, qui Gregorianae Universitatis olim alumnus ac dein Pater et Patronus benevolentissimus fuit.

Omnes autem qui aderant (inter quos nonnulli Excellentissimi Episcopi, Abbas Primas Ordinis S. Benedicti, Rev.mus P. Magister Generalis Ordinis Praedicatorum et alii bene multi), convenerunt deinde circa Patrem Nostrum ei amplissime gratulabundi.

ASSISTENTIA SLAVICA

NUNTII DE NOSTRIS IN PROVINCIIS POLONIAE.

I.

E Provincia Poloniae Maioris et Mazoviae.

R. P. Provincialis Aemilius Zyczkowski reliquit Varsaviam die 6 septembris et Lublinum profectus est, quem in locum noctu 9 septembris pervenit. In Collegio Lublinensi nosocomium militare collocatum erat. Praeter paucos Patres, Scholasticos et Fratres Coadiutores tota communitas nostra iam dispersa erat, PP. Rectore et Ministro non exceptis. Cum rumor diffunderetur bolscevicos etiam Lublinum occupaturos esse, P. Provincialis Vice Provincialem P. Bulanda pro ea Provinciae parte constituit, quae a Russis occupatum ivi dicebatur, Nostrosque domi manere iussit, ipse Cracoviam et Varsaviam petiit, ut Nostris in parte a Germanis occupata provideret. Cum autem Collegium Maximum Bobolanum, quod levissima detrimenta passum est, a Germanis occupatum esset, P. Provincialis anxius erat quo mitteret Scholasticos, qui remanserunt (ex 100 circa 20), ad studia theologica peragenda. Maior pars theologorum in regionibus a Russis occupatis dispersa est; an et quomodo colligi possit omnino incertum est.

Calissiense Seminarium et Residentia. — Primus nuntius qui ex occupatis Provinciis scripto Romam venit, missus est a P. Stanislao Sopuch, Superiore domus Calissiensis. Nostri omnes salvi evaserunt, ecclesia tamen et domus non parvum damnum passae sunt. Maior Nostrorum pars apud PP. Franciscanos recepta est, reliquis privatae familiae diversorium praebuerunt. Ecclesia et domus, iam refici coeptae erant, sed ab opere desistendum fuit quia milites captivi in eis detinendi erant.

Pinscensis Domus Probationis et Collegium NN. — Russi in ecclesiam nostram per tres horas tormentis bellicis iaculati sunt, ita ut partim diruta partim combusta sit; affirmabant enim quosdam homines ex parte subterranea in eos iacula emisisse, ergo « Nostros insidias parasse ». Reliquiae insignes S. Andreae Bobola, quae ibi habebantur, salvae esse dicuntur. In magno illo Collegio, in quo degebant 87 Nostri, nullus iam adest; omnes dispersi sunt, Novicii et Iuniores.

Vilnense Collegium et Convictus. — Ecclesiae et Collegium nullum damnum subierunt. Gymnasium nunc iterum apertum est cum 400 alumnis sub directore laico, antea in eodem Collegio Professore; etiam aliqui e Nostris Patribus docent, alii in diversis paroeciis derelictis curam animarum agunt. Omnes Patres et Fratres Collegii Vilnensis salvi sunt. Patres e Collegio Pinscensi fere omnes Vilnae adesse dicuntur: inter eos P. Antonius Dąbrowski, Superior Missionis Orientalis.

In Residentia Lublinensi nec Nostri nec Ecclesia quidquam passi sunt, quamvis vicina Ecclesia cathedralis sat magnum damnum passa sit; ita v. g. celebris sacristia omnino diruta est.

Varsavia: a) Residentia. — Quaedam cubicula primae contignationis supra ianuam tormentorum bellicorum ictibus destructa sunt. In Ecclesia vitreae fenestrae contritae, quae tamen subito sunt restitutae. Graviter laesa est vicina Ecclesia cathedralis. Obsidionis tempore omnes Nostri domi manserunt, ut populo opem ferrent. Post ingressum exercitus germanici in urbem maior Nostrorum pars in vincula coniecta est. Amici Nostrorum qui ipsi tanta ciborum penuria premebantur, Nostris in carcere detentis cibos afferebant. Sexagenarii, quatuor tantum dies in vinculis detenti; alii, duodecim dies. Praeter communitatem domus initio octobris aliqui Scholastici et Fratres Coadiutores e Collegiis Cracoviensi, Lublinensi et Pinscensi domi versabantur.

b) Domus Scriptorum. – Domus cum officinis typographicis et sacello pubblico tota fere destructa est. Pepercerunt tamen tormenta bellica altari maiori, ubi Corpus S. Andreae Bobola repositum erat. Corpus Sancti deinde ad Ecclesiam Residentiae translatum est, ubi nunc magna fidelium devotione colitur. In parte domus, cuius muri adhuc steterant (initio octobris), P. Pawelski cum duobus FF. Coadiutoribus habitavit. Alii, ve-

stibus saecularibus induti, hospitium apud amicos quaerere coacti sunt. Sacellum ad tempus in collocutorio instauratum est. Nullus e Patribus in carcerem deiectus.

Posnania. — Ultimo die mensis septembris venit Posnaniam Fr. Mrozek, qui deinde Romam advenit, et voluit Nostros in Residentia visitare. Obstupuit videns domum nostram clausam, clausam etiam Ecclesiam, immo obsignatam. Custos Ecclesiae nostrae eo momento praeteriens narravit ei ante tres dies officiales germanicos magistratus secreti (Gestapo) ad Nostros accurrisse, eosque domum et Ecclesiam perquisisse. Res omnes, Patres Fratresque nostros vehiculis automatis deportaverunt. Nostri statim in vincula coniecti sunt. Huius comprehensionis causa dicitur fuisse crepitus tormenti bellici in ea via ubi Nostri habitabant eo tempore quo signum aquilae polonicae demittebatur a polonica magistratus domo. Sed, ut compertum est, crepitus ille non a tormenti iactu, sed a rotae pneumatico repente rupto cuiusdam automati sparsus est.

Dubno. – Seminarium fuit die 14 septembris a Germanicis tormentis aëreis oppugnatum, quin scopum attingerent. Die 18 septembris bolscevici in Dubno ingressi sunt, die 20 summo mane in seminarium irruperunt captivosque duxerunt P. Niemancewicz, Fr. Schol. Pieńkosz, quendam P. Franciscanum ac clericum Seminarii Varsaviensis. Hi tres ultimi sese postea e captivitate liberarunt; de P. Niemancewicz nihil certo scitur, sed rumor ad nos advenit eum occisum fuisse.

Ratione habita omnium adiunctorum, hac ipsa die dispersio domus facta est; P. Morillo Romam advenit.

Domum Probationis Albertynensem bolscevici die 5 octobris pro exercitu occuparunt; Fratres Coadiutores et Novitii iam antea dispersi erant; quattuor Patribus cum uno Scholastico et Fratre Coadiutore permissum est sumere res personales et habitare in duobus cubiculis nostri praedii. Die 26 octobris ius sovieticum in illis regionibus proclamatum est, ideoque non possunt iam esse monasteria, et unus tantum sacerdos pro unaquaque ecclesia permittitur. Remanserunt Albertynii P. Grzybowski pro ecclesia latina et P. Ciszek pro ecclesia ritus orientalis, (ipse sponte hoc petivit), et Fr. Czornak uti agricola cum 4 iugeribus. Interim remanserunt duae ecclesiae, sed iam dictitabant sufficere unam, alteram pro cinematographo assumendam.

P. Antonius Dąbrowski, Superior Missionis Orientalis et Rector Domus Albertynensis, qui haec narrat, ait se per 5 hebdomadas inter bolscevicos mansisse, sed vix apparere aliquam possibilitatem actionis religiosae, nam hi homines nullum ostendunt studium pro quaestionibus religionis; aestimant tantum laborem physicum et res technicas. P. Ciszek qui callet tres artes manuales, poterit aliquid facere; nunc laborat uti agricola.

In Hungaria degentes. — P. Lęcznar et Zajaczkowski, qui magnis itineribus ac difficultatibus fines Hungariae transgressi sunt, inter Polonos in Hungaria profugos laborabant; mense octobri a Nuntio Apostolico Bucarestinum vocati sunt, ut ibi curam spiritualem profugorum susciperent.

In Romania. — In urbe Bucarestina adsunt PP. Chechelski, Góralik, Lorenc et Skudrzyk, qui iuxta desiderium Nuntii Apostolici EE. DD. Cortesi, curam animarum inter profugos Polonos, quorum multi in Romania inveniuntur, magno cum zelo gerunt.

Pauci illi ex Nostris qui e Polonia aufugere potuerunt ubique in Hungaria, Lithuania, Romania, unus alterve etiam Romae, maxima cum caritate suscepti sunt.

Valde anxii sumus de sorte Nostrorum in parte a Russis occupata; timendum est ne omnes domus religiosorum claudantur et etiam vita eorum periculo exponatur. — Uterque Provincialis in maximis angustiis versatur propter ingentes difficultates procurandi sibi ea quae ad vitam sunt necessaria et nesciunt quomodo Nostri hieme sustentari possint.

***Probabiliter mortui*:**

Fr. Coad. Stanislaus Zwolski (n. 1907 ingr. 1931) qui, uti referunt, a tormentis e navibus aëreis missis, in fuga e Collegio Chyroviensi, occisus esset.

P. Marius Skibniewski (n. 1881 ingr. 1907) qui tempore, quo Russi regiones circa Leopolim occuparunt, apud fratrem Metropolitae Archiepiscopi Szeptycki, magnum proprietarium et exercitus polonici Generalem degens, simul cum eo occisus esse dicitur. Contra ditiores agrorum possessores inimici statim ab initio saeviebant.

II.

E Provincia Poloniae Minoris.

Iuvabit integram referre epistolam R. P. Ladislai Lohn, Praepositi illius Provinciae:

Cracoviae, 23 octobris 1939.

Domus Tessinensis, Rudensis, Dziedzicensis, Staniatecensis et Zakopanensis, nullo accepto detrimento ex bellica incursione, consueto modo ministeriis dant operam. Częstochoviensis Domus facta est magnum nosocomium militare; omnes Patres adsunt, P. Magoczy ultimis diebus reversus est, peracto sat longo itinere. Cracoviensis Residentia S. Stanislai nosocomium habet « Rubrae Crucis », ideo iuvenibus opificibus educandis operam navare non potest. In ecclesia S. Barbarae omnia consueto more peraguntur; conventus tamen Congregationum non habentur. Collegium Maximum fere totum occupavit nosocomium « Rubrae Crucis ». Septembri ineunte, 2[i] et 3[i] anni philosophos Chyroviam, primi vero anni Leopolim emigrare praecepi, cum domus nostra, contigua stationi viae ferreae, multoties igneo impetu pulsae, periculis vel maxime exposita esset. Tertia autem die belli nemo praevidere potuit res tam celeri cursu processuras esse, optimumque fuisse consilium, iuvenes Cracovia non movere. Nunc Collegium Cracoviense habet 15 Patres, 17 Fratres; tum in ecclesia, tum in nosocomiis diligentem dant ministeriis operam. Editio librorum et opusculorum Apostolatus Orationis interrumpi debuit, itemque librorum venditio cum cursus vehicularius nondum sit restitutus. Nuntius SS. Cordis pro mense novembri probabiliter non apparebit. Cracoviae penuria rerum magna ob multitudinem fugientium et captivorum.

Staraviesienses Novitii, fuga primum se eripientes, fere omnes in Collegium redierunt. Neosandecenses domus belli incommoda non sunt passae, tantummodo FF. Majewicz et Lamber rumoribus fabulosis credentes, fugerunt et nondum redierunt. Seminarium Minus instrui non poterit, cum gymnasium publi-

cum scholas non habeat. Ideo interim transtuli Neosandeciam 2i et 3i anni philosophiae auditores, qui variis viis conveniunt ex dispersione e regionibus orientalibus. Nullus vero eorum, quantum constat, vitam perdidit.

Professores philos.: P. Chomrański, praef. stud., lect. ethic. et paedagog.; P. Markucki prof. theod.; P. Bębenek prof. psycholog. rat.; P. Kuśmierz prof. psych. experim. et biolog.; P. Ilków lect. hist. philos.; P. Kwiatkowski Leopoli commoratur. Translationis causa in eo est, quod Collegium Cracoviense a nosocomio occupatum Nostros excipere nequeat et Cracoviae sustentatio difficillima sit famesque eius incolis immineat.

Chyroviensis domus pacem habuit usque ad diem 18 sept., quando statio viae ferrae et oppidum ex aëre oppugnari coepta sunt. Tunc P. Rector Cisek, partem Philosophorum Kochavinam, partem alteram Stanislaopolim et Kolomeam misit; unde nonnulli adhuc in regione a Russis occupata inveniuntur. Nunc Collegium dispersum et direptum est. In praedio habitant duo Fratres Krzysik et Kurek; Patres vero, vi expulsi, alii iam in Collegio Staraviesiensi degunt, alii: scilicet Kościsz, Piecuch, Dorda, Poplatek, Walęcki Ign., Piszczek, Bzowski arduum iter occidentem versus peragere dicuntur. Nemo ergo in collegio mansit. De orientalibus domibus Stanislawów, Kolomyja, Kochawina, Tarnopol nil certum ad me est delatum; Tarnopolitani Patres breve tempus in carcere retenti sunt; ecclesia aliquod detrimentum passa est.

Leopolitana Exercitiorum domus et ecclesia ob impetus aëreos tecta et fenestras dirutas habuit; ecclesiae vero Sanctorum Apostolorum tectum combustum est, pavimentum duobus locis fractum, fenestrae disiectae. Antiquum collegium etiam quaedam detrimenta est passum.

Chyroviae initio Octobris vita functus est P. Hieronymus Harmata.

Servus in Christo
L. Lohn S. I.

PROSPECTUS SOCIETATIS IESU UNIVERSAE

INEUNTE ANNO 1939.

Assistentiae	Provinciae vel Viceprovinciae	Sacerdotes	Scholastici	Coadiutores	Universi	Augmentum Sac.	Augmentum Schol.	Augmentum Coad.	Augmentum Univ.
Italiae	Romana	154	124	77	355	4	3	4	11
	Neapolitana	149	149	111	409	1	5	— 1	5
	Sicula	127	159	120	406	3	4	9	16
	Taurinensis	198	101	71	370	1	— 6	— 5	— 10
	Veneto-Mediolanensis	250	155	215	620	15	— 2	6	19
	Socii Assist. Italiae	**878**	**688**	**594**	**2160**	**24**	**4**	**13**	**41**
Germaniae	Austriae (¹)	225	130	106	461	39	16	4	59
	Germaniae Inferioris	410	156	183	749	6	— 6	— 7	— 7
	Germaniae Orientalis	133	126	61	320	12	— 5	— 4	3
	Germaniae Superioris	293	152	184	629	3	— 3	— 4	— 4
	Hungariae	133	121	96	350	3	7	— 2	8
	Lettoniae et Estoniae (Missio)	3	5	1	9	1	1	1	3
	Lituaniae	17	39	46	102	1	6	— 2	5
	Neerlandica	355	245	130	730	3	— 2	1	2
	Socii Assist. Germaniae	**1569**	**974**	**807**	**3350**	**68**	**14**	**—13**	**69**
Galliae	Campaniae	508	235	137	880	10	— 10	— 1	— 1
	Franciae	425	217	128	770	6	— 8	— 5	— 7
	Lugdunensis	406	186	134	726	3	6	— 3	
	Tolosana	435	192	132	759	3	— 2	— 1	0
	Socii Assist. Galliae	**1774**	**830**	**531**	**3135**	**22**	**—14**	**— 10**	**— 2**
Hispaniae	Aragoniae (²)	436	210	228	874	— 13	— 10	— 18	— 41
	Baetica	204	154	104	462	— 1	—	— 8	— 9
	Castellana	452	280	342	1074	— 1	2	— 1	0
	Legionensis	357	221	228	806	1	13	— 4	10
	Lusitana (³)	140	127	98	365	— 58	— 30	— 52	-140
	Toletana	167	127	123	417	— 1	— 5	— 1	— 7
	Socii Assist. Hispaniae(⁴)	**1756**	**1119**	**1123**	**3998**	**— 73**	**— 30**	**84**	**-187**
Angliae	Angliae	507	257	145	909	5	— 5	4	4
	Australiae (Vicepr.)	102	106	23	231	1	3	—	4
	Belgica Meridionalis	472	294	75	841	—	— 5	— 3	— 8
	Belgica Septemtrionalis	471	286	139	896	8	—	4	12
	Canadae Inferioris	270	286	124	680	7	9	4	20
	Canadae Superioris	107	145	40	292	4	2	1	7
	Hiberniae	200	210	56	466	10	1	2	13
	Socii Assist. Angliae	**2129**	**1584**	**602**	**4315**	**35**	**5**	**12**	**52**

(¹) Provinciae Austriae die 26 nov. 1938 adscripti sunt ex Prov. Cechoslovakiae 61 Socii (33 PP. 21 Schol., 7 Coad.).

(²) Numerus Sociorum hic exhibetur prout revera exstabat die 1 ian. 1939, detractis nempe etiam, iis, qui, ut post editum Catalogum compertum est, ante hunc diem iam obierant.

(³) Die 8 dec. 1938 Viceprov. Brasiliae Septemtrionalis a Prov. Lusitana seiuncta est et independens edicta.

(⁴) Nova Viceprov. independens Brasiliae Sept. ab Assistentia Hispaniae ad Assistentiam Americae Latinae transcripta est die 8 dec. 1938.

PROSPECTUS SOCIETATIS IESU UNIVERSAE

INEUNTE ANNO 1939 *(contin.)*.

ASSISTENTIAE	PROVINCIAE VEL VICEPROVINCIAE	Sacerdotes	Scholastici	Coadiutores	Universi	AUGMENTUM			
						Sac.	Schol.	Coad.	Univ.
AMERICAE	Californiae.	178	270	57	505	15	5	2	22
	Chicagiensis	390	346	86	822	16	— 10	— 4	2
	Marylandiae-Neo Ebor. . . .	655	692	165	1512	27	22	3	52
	Missouriana	454	354	128	936	10	11	— 1	20
	Neo Aurelianensis	198	174	39	411	4	1	— 4	1
	Novae Angliae	405	341	61	807	23	— 11	— 1	11
	Oregoniensis	186	213	48	447	6	9	— 2	13
	Socii Assist. Americae . . .	**2466**	**2390**	**584**	**5440**	**101**	**27**	**— 7**	**121**
SLAVICA	Bohemiae (5).	56	48	57	161	— 62	— 96	— 72	- 230
	Iugoslaviae	91	55	80	226	1	7	6	2
	Poloniae Mai. et Mazov. . .	134	138	113	385	7	— 16	5	- 4
	Poloniae Minoris	166	160	133	459	9	— 3	— 2	4
	Romenica (Vicepr.) . . .	19	10	13	42	— 4	1	—	— 3
	Slovakiae (Vicepr.) (6) . . .	32	82	61	175	32	82	61	175
	Socii Assist. Slavicae . . .	**498**	**493**	**457**	**1448**	**- 17**	**—25**	**- 14**	**- 56**
AMERICAE LATINAE	Argentinensis	128	122	88	338	—	11	3	14
	Brasiliae Centralis	72	99	44	215	3	4	4	11
	Brasiliae Meridionalis. . . .	140	108	98	346	7	8	— 2	13
	Brasiliae Septemtr. (Vicepr.) (7)	60	53	56	169	60	53	56	169
	Chilensis (Vicepr.)	61	74	43	178	5	5	— 1	9
	Colombiana	131	163	119	413	7	2	7	16
	Mexicana	212	150	87	449	1	—	—	1
	Socii Assist. Amer. Lat. (8) .	**804**	**769**	**535**	**2108**	**83**	**83**	**67**	**233**
	Universi ineunte a. 1939	**11874**	**8847**	**5233**	**25.954**	**243**	**64**	**—36**	**271**
	Erant ineunte a. 1938 . . .	11631	8783	5269	25.683	266	—13	—30	223
	Augmentum	**243**	**64**	**— 36**	**271**				

(5) Prov. Cechoslovakiae, exeunte anno 1938, divisa est, et antiquum nomen Prov. Bohemiae assumpsit: pristinae Provinciae Socii 156 ad novam Viceprov. independentem Slovakiae constituendam transierunt; alii 61 ad Prov. Austriae transcripti sunt.

(6) Erecta est independens die 23 augusti 1938 (cf. not. 5).

(7) Erecta est independens die 8 dec. 1938, a Prov. Lusitana seiuncta (cf. not. 3).

(8) Cf. nota (4).

VITA FUNCTI

A DIE 15 IUNII AD DIEM 31 OCTOBRIS 1939.

ASSISTENTIA ITALIAE

		Anno Aet.	Anno Soc.	Loco
Prov. Sicula:				
22 iun.	C. Salvator Tripi	73	51	Bagheria
17 aug.	P. Antonius Tabone	57	43	Malta
4 sept.	C. Iosephus Longhitano	75	48	Acireale
22 oct.	Sch. Georgius Sullivan	22	6	Bagheria
Prov. Veneto-Mediolanensis:				
26 iul.	P. Aloisius Coelho	57	36	Calicut
31 aug.	Sch. Franciscus Pais	33	10	Calicut
22 sept.	P. Ioannes Riboldi	55	30	Piacenza
28 sept.	C. Aloisius Volpi	73	37	Lonigo
29 oct.	P. Iosephus Rosan	71	55	Padova

ASSISTENTIA GERMANIAE

Prov. Germaniae Inferioris:				
9 sept.	P. Ioannes Bapt. Lindworsky	65	43	Essen
12 sept.	P. Adulfus Müller	87	60	Essen
30 oct.	C. Gulielmus Münch	84	49	Valkenburg
Prov. Germaniae Orientalis:				
6 iul.	Sch. Alfredus Florek	26	6	Neurode
Prov. Germaniae Superioris:				
3 aug.	P. Augustus M. Hellmich	76	54	Pullach
5 aug.	P. Albertus Ruf	32	14	Santiago (Chile)
30 aug.	P. Raimundus Haas	55	26	Wolfach

		Anno Aet.	Soc.	Loco
24 sept.	P. Alfonsus Kleiser	64	35	Urach
2 oct.	P. Gulielmus Bernhardt	72	45	Tisis

Prov. Neerlandica:

18 iun.	P. Theodorus Appelman	66	41	Nijmegen
19 iun.	P. Petrus van Luijk	70	51	's-Gravenhage
4 aug.	P. Bernardus Kortmann	61	41	Nijmegen
11 aug.	P. Ioannes Heydenrijck	77	57	's-Gravenhage
29 sept.	P. Henricus Koehorst	53	34	's-Gravenhage
16 oct.	P. Petrus van Boxtel	62	42	's-Gravenhage

Assistentia Galliae

Prov. Campaniae:

? iul.	P. Eduardus Henry	90	62	Florennes
? iul.	P. Victor Loiselet	74	56	Florennes
? iul.	P. Ioannes Bapt. Li	76	34	Hokien (in Sinis)
? aug.	C. Santiapillai Saverimuttu	40	18	Batticaloa (Ceylon)
? aug.	EE. DD. Henricus Lécroart	75	56	Sienhsien
? sept.	P. Stanislaus Tchang	66	34	in Miss. Sienhsien
5 sept.	P. Ludovicus Cadet	55	31	?
16 sept.	P. Hector Hopsomer	79	55	Colmar

Prov. Franciae:

26 iun.	P. Augustus Hamon	80	58	Paris
26 iun.	P. Gulielmus Mahé	93	66	Nantes
2 iul.	P. Franciscus de Vauplane	57	38	Versailles
8 iul.	P. Paulus Fortin	88	65	Nantes
30 aug.	P. Franciscus Lebreton	56	36	Zi-Ka-Wei
24 oct.	P. Corentinus Pétillon	82	63	Jersey

Prov. Lugdunensis:

24 sept.	P. Franciscus X. Royet	97	72	Yzeure
14 oct.	P. Georgius Triboulez	86	67	Paray-le-Monial
22 oct.	P. Carolus Carrard	55	30	Beyrouth
23 oct.	C. Emmanuel Gilles	70	50	Paray-le-Monial

Prov. Tolosana:

24 iun.	P. Henricus Hartenstein	59	40	in Miss. Madurensis
7 iul.	P. Iosephus de Villèle	88	70	Tananarive

		Anno Aet.	Soc.	Loco
20 aug.	C. Antonius Antonimuthu	70	51	Trichinopoly
22 sept.	P. Abdon Mas	73	46	Salvagnac
23 oct.	P. Paulus de Jabrun	64	46	Montpellier

Assistentia Hispaniae

Prov. Aragoniae:

26 iul.	P. Raimundus Blanc	40	22	Bombay
? sept.	P. Michaël Marti	68	52	Bombay
? sept.	P. Matthias Roure	81	53	Avigliana
? sept.	Sch. Paulus Paniagua	24	6	Zaragoza

Prov. Castellana:

24 iul.	C. Iosephus I. Gurruchaga	69	51	Loyola
1 sept.	C. Telesphorus Tellería	81	59	Loyola
3 sept.	P. Hermogenes Basauri	62	46	Caracas
5 sept.	C. Polycarpus Castresana	80	56	Loyola
? sept.	P. Iosephus Errasti	74	58	Caracas
? oct.	P. Caelestinus Zabarte	78	54	Loyola
4 oct.	C. Antonius Usabiaga	85	58	Loyola

Prov. Legionensis:

25 iun.	P. Eusebius Merino	41	18	Kweichih (in Sinis)
6 iul.	C. Albertus Rojo	33	11	Carrión de los Condes
19 iul.	Sch. Isidorus Polo	29	12	Celorio
31 iul.	P. Iosephus Mostaza	67	38	Comillas

Prov. Lusitana:

29 iul.	Sch. Aloisius da Costa	30	7	Lisboa

Prov. Toletana:

1 sept.	Sch. Augustinus Casani	20	4	Palencia
30 sept.	P. Rufinus Aranzubía	71	55	Murcia

Assistentia Angliae

			Anno Aet.	Soc.	Loco
		Prov. Angliae:			
12	sept.	P. Fridericus King	77	60	Mapledurham
19	sept.	P. Edmundus Walton	61	40	Wimbledon
12	oct.	P. Robertus Quick	72	51	Leeds
		Prov. Belgica Meridionalis:			
20	iun.	P. Aloisius Crez	65	47	Charleroi
21	aug.	P. Iulianus Gilis	58	37	Tournai
13	sept.	C. Ioannes Schumacher	58	35	Vianden
19	sept.	P. Carolus Gillet	53	36	Kurseong
7	oct.	P. Henricus De Groote	77	59	Liége
9	oct.	P. Ioannes Bapt. de Geradon	67	49	Galle (Ceylon)
20	oct.	P. Henricus Demain	61	44	Duinberg
		Prov. Belgica Septentrionalis:			
5	iun.	C. Aloisius Titeca	68	45	Ranchi
28	sept.	C. Carolus De Graeve	81	54	Drongen
30	oct.	P. Arthurus Guetens	71	50	Turnhout
		Prov. Canadae Inferioris:			
16	iun.	Sch. Cleo Ricard	30	11	Zi-Ka-Wei
28	iun.	P. Oscar Handfield	41	20	Québec
29	iun.	P. Raphaël Delbeke	42	19	in Miss. Süchow.
28	iul.	P. Aloisius Héroux	82	62	Montréal
		Prov. Hiberniae:			
22	iun.	Sch. Petrus Cush	23	4	Balbriggan
18	iul.	P. Iosephus Darlington	89	59	Dublin
20	sept.	Sch. Henricus Fay	28	9	Dublin

Assistentia Americae

		Prov. Californiae:			
12	iul.	C. Iosephus Gómez	73	41	Los Gatos
28	aug.	P. Ioannes Regan	57	32	San Diego
31	oct.	P. Martinus Maher	61	38	Los Angeles

		Anno Aet.	Anno Soc.	Loco
	Prov. Chicagiensis:			
21 iun.	Sch. Cyrillus Timmerman	26	8	Detroit
19 aug.	P. Ioannes Bankstahl	63	42	Detroit
	Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis:			
14 iun.	P. Laurentius K. Patterson	49	28	Baltimore
19 iun.	C. Adulfus Alekszunas	53	35	Hoboken
10 iul.	P. Iosephus Mc Eneany	72	46	Wernesville
16 iul.	P. Iosephus Fink	63	42	Poughkeepsie
3 sept.	P. Vincentius Mc Donough	70	39	Georgetown
3 sept.	P. Richardus Martin	80	62	Georgetown
10 sept.	P. Iosephus A. Fortescue	54	36	Stone Harbor
19 sept	P. Patritius J. Casey	80	61	Woodstock
	Prov. Missouriana:			
11 iun.	P. Iosephus Davis	68	50	St. Louis
16 iun.	P. Hugo B. Mac Mahon	75	55	Milwaukee
9 oct.	P. Iacobus Doyle	41	19	Denver
	Prov. Neo Aurelianensis:			
10 iul.	C. Ferdinandus Peter	77	56	New Orleans
	Prov. Novae Angliae:			
25 iun.	C. Patritius J. Mc Carthy	71	49	Worcester
5 sept.	P. Gulielmus E. Murphy	66	42	South Norwalk
7 sept.	P. Franciscus Dolan	47	27	Worcester
13 oct.	P. Thomas Miley	62	44	Weston
	Prov. Oregoniensis:			
4 aug.	P. Augustinus Dinand	67	45	Weston
9 sept.	C. Petrus Hagan	64	36	Mount St. Michael's
14 oct.	P. Augustinus Coudeyre	65	46	Seattle

Assistentia Slavica

	Prov. Bohemiae:			
28 iun.	P. Iosephus Stryhal	72	39	Praha
13 oct.	C. Ivanus Hulka	73	50	Benešov

		Anno Aet.	Soc.	Loco
	Prov. Poloniae Maior. et Maz.:			
9 iun.	P. Franciscus Mollo	67	48	Chicago
? oct.	C. Theodorus Podobieński	41	17	Breslau
	Prov. Poloniae Minoris:			
? oct.	P. Hieronymus Harmata	67	52	Chyrów

Assistentia Americae Latinae

	Prov. Argentinensis:			
8 oct.	Sch. Franciscus Acuña	25	9	San Miguel
	Prov. Brasiliae Meridionalis:			
26 iul.	C. Fridericus Weber	80	56	São Leopoldo
? iul.	P. Gulielmus Schoelch	64	42	Nova-Friburgo
20 aug.	P. Wernerus v. u. z. Mühlen	65	48	Porto Alegre
21 aug.	P. Robertus Meier	78	59	Nova Trento
23 aug.	P. Gulielmus Günther	76	58	Santa Maria
8 sept.	P. Aloisius Kades	77	60	Porto Alegre
27 sept.	P. Maximilianus Schneller	57	38	Porto Alegre
5 oct.	P. Iulius Pöther	71	48	São Salvador
	Prov. Colombiana:			
28 aug.	P. Severinus Larumbe	63	45	Barranquilla
24 sept.	P. Caietanus Sarmiento	75	50	Medellín
	Prov. Mexicana:			
24 iul.	P. Raphaël Guillén	56	10	El Paso
20 oct.	C. Iosephus Iraízos	77	50	El Paso

INDEX

MEMORABILIA ANNI 1939

IULIO-OCTOBRI 1939

Libri qui apud Curiam Praepositi Generalis venalia prostant

Constitutiones S. J. cum declarationibus, auctore s. Ignatio de Loyola. — Editio latina, 1937.

Constitutiones S. J. (ut supra). — Editio latino-hispana, 1937.

Institutum Societatis Iesu, editio Florentina, 1892-93, Vol. 3 in 4°

Ad complendam hanc editionem: *Decreta C. G. XXIV,* 12 pp. et C. G. XXV, 14 pp. eiusdem formati. — Prodierunt etiam ultima haec Decreta 46 pp. in 16°.

Statuta C. G. XXVII, 1924, 272 pp. in 8°.

Decreta C. G. XXVIII, 1938, 68 pp. in 8°.

Exercitia Spiritualia S. P. Ignatii de Loyola, Textus hispanicus et versio litteralis auctore A. R. P. N. Joanne Roothaan, 1928, 354 pp. in 32°.

Epitome Instituti Societatis Iesu, additis praecipuis praescriptis ex iure Communi Regularium, editio secunda, 1931, XX et 547 pp. in 16°.

Regulae Societatis Iesu, 1935, VII et 310 pp. in 16°

Idem (editio brevior in usum Scholasticorum) 78 pp. in 16°.

Elenchus eorum quae a Provincialibus praestanda sunt, 1933, 39 pp. in 8°.

Elenchus eorum quae a Sup. localibus praestanda sunt, 1934, 34 pp. in 8°.

Elenchus eorum quae a Ministris praestanda sunt, 1934, 13 pp. in 8°.

Epistolae selectae Praepositorum Generalium ad Superiores Societatis, 1911, 342 pp. in 8°.

Practica quaedam ad Formulam scribendi, Paradigmata informationum et Formulae variae, 1933, 91 pp. in 8°.

Elenchus Praecipuarum Facultatum Nostris ad auxilium animarum concessarum, 1936, 118 pp. in 16°.

Memorabilia Societatis Iesu ab anno 1919.

Acta Romana Societatis Iesu ab exeunte anno 1906.

Ex *Actis Romanis S. I.* seorsim edita:

Instructiones: De dimissione, 1925, 22 pp. — *Ad Patres tertiae probationis,* 1932. 12 pp. — *Ad mensam legenda variis anni temporibus,* 1926, 20 pp.

Martyrologium Societatis Iesu, 1926, 32 pp. in 12°.

Formulae quaedam benedictionum ex appendice Ritualis Romani excerptae, 1928, 22 pp. in 32°.

Instructio de Administratione Temporali, 1936, VII et 95 pp. in 8°.

Apud Oeconomum Generalem

Antonius M. Arregui, S. I. — *Annotationes ad Epitome Instituti S. I.* - 1934, XII et 902 pp. in 8°.

Augustus Coemans S. J. - *Commentarium in Regulas S. J. omnibus Nostris communes.* — 1938, XV et 404 pp. in 8°.